
Conclusiones philosophicae.

Numéro d'inventaire : 1979.35018

Auteur(s) : François Morel

Jean Petit

Lochon

Type de document : affiche

Éditeur : non renseigné (Châlons-sur-Marne)

Description : Une feuille de papier mince. Le bord gauche est dégradé. Une déchirure au bord supérieur, à l'endroit de la pliure médiane. Une perforation dans le quart inférieur gauche. Des taches brunâtres dans la partie droite. Estampe dans la partie supérieure.

Mesures : hauteur : 514 mm ; largeur : 390 mm

Notes : Affiche annonçant les propositions de philosophie que défendront deux élèves du collège jésuite de Châlons-sur-Marne, le 13 mars 1719. François morel doit défendre des thèses de logique, et Jean Petit des thèses de métaphysique. L'estampe, avec la dédicace "Salvatori", représente le Christ (?) en médaillon, sous les traits d'un jeune homme à longue chevelure.

Mots-clés : Affiches de thèses et d'exercices publics

Filière : Université

Niveau : Supérieur

Autres descriptions : Langue : Français

Nombre de pages : 1

ill.



SALVATORI
CONCLUSIONES PHILOSOPHICÆ
EX LOGICA. *EX METAPHYSICA.*

LOGICA est virtus mentis simpliciter practica, quippe quæ tota comparata sit ad directionem operationum mentis: hæc ad perfectam aliarum scientiarum comprehensionem perutilis est, non tamen absolute necessaria.

OBJECTUM materiale proximum & per se Logicæ, non sunt voces, non res secundum se sumptæ, non secundæ intentiones objectivæ, sed tres mentis operationes. Objectum verò formale sub quo, est earum dirigibilitas.

PRIMA mentis operatio, sive apprehensio est pura rerum cognitio sine affirmatione aut negatione. Apprehensioni simplici non potest subesse falsitas. Apprehensio composita capax est falsitatis incomplexæ.

GRADUS metaphysici ejusdem individui non distinguuntur inter se realiter, non formaliter ex natura rei, non denique virtualiter intrinsicè, sed extrinsicè tantum. Hinc nullæ sunt præcisiones objectivæ.

SUBSTANTIA definitur à nonnullis ens substans accidentibus; ab aliis ens per se subsistens. Si sumatur substantia hoc secundo sensu, non videtur, cur Deus in categoria substantiæ non possit convenienter reponi.

RELATIO categorica non est entitas aut modus realiter à fundamento distinctus; sed est ipsamet entitas fundamenti, quæ diversas sortitur denominationes à diversis nostris conceptibus.

JUDICIUM est actus mentis unum de alio vel affirmantis vel negantis. Ex duabus propositionibus singularibus & contradictoriis de futuro contingenti libero, una determinatè vera est, altera falsa.

DEMONSTRATIONIS conclusio est scientia, quam existere falsò negarunt quidam è veteribus Philologis. Actus opinionis & fidei non possunt stare simul cum actu scientiæ in eodem intellectu, circa idem objectum.

METAPHYSICA versatur circa ens ab omni materia sive realiter, sive per mentem abstractum. Essentiæ creatæ non habent esse reale extra causas ab æterno, nec nisi logicè ab existentia distinguuntur.

POSSIBILITAS creaturæ, alia est intrinsicè, alia extrinsicè: Extrinsicè est omnipotentia Dei; Intrinsicè verò nihil est aliud quàm ipsa creaturæ entitas, quatenus non repugnat ad existendum physicè.

CAUSA efficiens duplex est, prima & secunda. Prima est solus Deus, quem necesse est concurrere ad omnes causarum secundarum effectus, concursu non tantum mediato, verum etiam immediato.

DEUS sic concurret cum causis secundis concursu immediato & simultaneo, ut eas physicè ad agendum non prædeterminet: hinc physicam Thomistarum prædeterminationem omnino rejicimus.

ENS rationis objectivum purum, quod vocatur simpliciter ens rationis, est illud quod concipitur ut ens, licet nec sit, nec possit esse ens. Datur tale ens rationis, cujus causa sit solus intellectus humanus.

DARI ens infinite perfectum in omni genere perfectionis, quod à nullo sit, & à quo sint cætera omnia, ac proinde dari Deum ita certum est, ut non nisi stultissimè & impudentissimè negari id possit.

SIC Deus est infinitus in omni genere perfectionis, ut nihil præter ipsum in ullo perfectionis genere infinitum esse possit; unde non existit, nec existere potest infinitum actu creatum.

ANIMÆ rationalis nomine intelligimus cum D. Augustino substantiam quandam cogitationis & volitionis capacem, informando & regendo corpori accommodatam; spiritalis est & immortalis.

Harum Conclusionum veritatem Deo duce & auspice Deiparâ tueri conabuntur
FRANCISCUS MOREL, Logicus, Catalaunus. JOANNES PETIT, Metaphysicus, Altiwillanus;
In Aula minore Collegii Catalaunensis Societatis JESU, die 13. Martii, unâ horâ post meridiem s'esqui-secundâ,
Anno Domini 1719.